





Solenne festum
COLLEGGII PHILOSOPHICI

In Academiâ VVitebergensium,
Ex instituto majorum Celsissima
DOMUS SAXONIÆ
Frequentatum ac versu celebratum
ANNO CHRISTI
MCC.

Itemque vice alterâ
MCC.

Supra millesimum quingentesimum
Auctore

FRIDERICO TAUBMANNO
Poetâ & Professore publico.



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri.
Impensis Pauli Helwichij Bibliop.

MDCCXCVIII.

COLLEGIUM
BOHEMUM

ANNO DOMINI
MDCCCLXXXIII
MENSE APRILII
DIE VIGINTI
PRIMA

IN THEATRO
PUBLICO
FRANCISCAE
CIVITATIS
BOHEMAE



WITTEBERG
PUBLISHED BY
J. G. SCHNEIDER
D. M. 1854



Illustrissimi ac Potentissimi PRINCIPIS

CHRISTIANI I.

B. M.

Ducis & Electoris Saxoniae &c.

GENEROSISSIMO ATQ; INCLITO FILIO COGNOMINI

CHRISTIANO II. &c.

Domino S. clementis, S. P. D.

A NNU S jam agitur tertius, Generosissime atq; Inclite Princeps, CHRISTIANE, quando in hac Academia locus inter Professores, & jus docendi in primis Poëticam linguæq; Latinæ elegantiam mihi designatus fuit. Et quanquam in ijs nomen meum profiteri necesse habeam, qui fide atq; industriâ potius, quam vel ingenij felicitate vel doctrinæ copiâ locum ornare suum allaborant: spero tamen, fretus non tam domestico judicio, quod amore sui falli potest, quam aliorum de re ex re ipsâ judicantium sententijs, me in utroq; quanquam in illo fortasse impensius, sic versatum; ut neutrius vel Illustrissimum Magistratum, vel hanc Academiam, vel deniq; studiosam juventutem pœnitere meritò possit. Et nisi gravior causa intercesserit, quæ hunc calorem frangat, propediem si minus ingenij, certè industriæ meæ fructus etiam exteris in publicâ luce apparebit. Nihilominus tamen ab eâ studiorum operâ mihi propriè destinata, ad hanc etiam quasi extraordinariam & legibus non debitam pro-tempore secessi: & Solenne illud Collegij nostri versu anniversario sponte meâ celebravi: cum, quia mecum ratiocinabar, non temerè antiquandum, licet aliquandiu intermissum, quod Sapientissimi majores tui, Scholæ hujus fundatores quotannis fieri legibus jussissent: tum, quia magnopere expedire censebam, Deo opt. max. artium ac sobriæ Philosophiæ

A 2

fundo

fundo & subscriptori solenniter gratias agi, ex eo præcipue loco, ubi patrum ætate lumen & quasi animam illæ recepissent, operâ doctorum, quos majores tui foverunt, imprimis magni illius PHILIPPI MELANTHONIS: quorum memoriam & immensa innumeraq; in hanc Scholam omnesq; adeo liberalium artium disciplinas menta ambitiose fastidire, aut silentio pertinaci invidiose premere, non video quâ tandem ratione notâ ingrati animi possit carere. Quod utrumq; in his Oratiunculis, quas hic publice in frequentissimâ (verè hoc, non superbe dico) doctorum docendorumq; concione habui, præstare conatus sum: dum laudes Dei ejusdemq; beneficia in hanc Scholam peculiariter collata recensendo de prædicavi, memoriamq; bonorum, quorum operâ Deus ad hanc potissimum operam usus, pie recolui. Ideoq; & stitum & faciem sermonis ad materiæ ingenium, quod majori ex parte scholasticum est, de industria attemperavi. neq; enim omnia aulæ uno eodemq; filo pertexenda: neq; puella, cui mens atq; oculi ad oblectationem valent, omnes corollas uniformi semper flore committit. Sanè ad longe amœniorem uberioremq; orationis copiam me diffunderem, si aut historiam, aut res sapienter fortiterq; domi bellicq; gestas, aut horum simile argumentum, quod florem & cultum non tam admitteret quàm ex se daret tractandum suscipere. Interim hunc factum qualem qualem in tuâ, Generosissime atq; Inclite Princeps CHRISTIANE, Academiâ, me patre conceptum natumq; clementer ut tollas, foveas, & exemplo Patris AVIQ; (at quorum Principum!) in spem majorem enutrias, submisè rogo flagitoq;. SALVE & Vale, Generosissime Princeps CHRISTIANE, & hono Patriæ tuæq; ipsius, esto quod es, hoc est, vere Christianus. V Vittebergæ, 25. Novemb. qui dies sacer Catharinæ.

Tuæ inclitæ Generositati
devotiss.

Fridericus Taubmannus

SOLEMNE PHILOSOPHORVM.

In Academiâ VVitebergensi,

Ex instituto majorum celsiss. domus Sax.

Anno CID. ID. XCVIII.

celebratam.



EMPE iuventutis Musæam ex omnibus
undam

Confluxisse fretis in sacrum hunc æquoris ab-
veum,

Et celsâ hæc video cathedra, ceu littoris actâ:

Atq; ibi pro foribus semotos obice clathri,

Quam longè hinc oculorum igneis promittere fas est,

Densum humeris urgere gregem, nisiq; fideles

Nequicquam stabilire situs, dum pluribus acti

Fluctibus accessum jam prorsum jamq; retrorsum

Adtrepidant formare aliis bipatente recessû.

Ecce etiam, nobis muri quos distinet agger,

Obsidunt valvas, & connivente fenestras

Lumine traiciunt: avidis hic scilicet omnes

Venaturam oculis facientes, auribus omnes

Aucupium; atq; animi mentem satiare parati

Nectareoque thymo sparsisq; papavere dictis.

Atq; opera certe pretium quis haberet? & optem

Vi me precipiti turbâ de sede cathedrâ
Eijciant nulloq; sui me nectaris unquam
Dignentur gustu mihi cara ante omnia Musa;
Ipse ego ni cuperem totis bibere ista medullis!
Sed date, qui possit, frustra in me vertitis ora.
Non ego non valeo spern tantam implere canendo.
Dis geniti poterunt; Et quos furor arduus igni
Armat in hunc fastum, ut clament: Procul este pro
Meq; obdurarem forsân, fronti q; rigorem (fani.
Induerem ferri, quò pertolerare valerem
Horum acies humili sua qui subsellia sésu
Opperiunt, spissâq; locum hunc qui pube coronant,
Et vel doctrina mecum vel comparis ævi.
Hi mihi perstringunt oculos, animoq; timorem
Incutiunt, adimuntq; suo mea verba vigori,
Quos virtus artesq; citis Et fama quadrigis
Celsius evectos ad longa sedilia, Et altis
Quasitum meritis fastum pro jure locarunt,
Pompa Professorum. quanquam, me iudice, sed quid
Iudice me, dico, quem caussa domestica nullo
Nec dignum numero nec pondere iudicis audit?
Iudice rē potiùs; tu, quem censura senatus

Sustulit

Sustulit in fasces & nomina magna Lycei,
Candida si detur nostris audacia verbis,
Vix purus culpa es: qui, cum potuisset haberi
Cantio Luscinia, voluisti audire Columbum,
Abnormi vestras gemitu qui tunderet aureis!
Sed quo Rectoris precedunt sceptrum, sequendum est,
T'ublica quem potius quam mens privata gubernat.

Quod felix igitur fortunatumque sit omni,
Qui me felicem fortunatumque; quid? imò,
Qui vos felices fortunatoque, sed & rem
Saxoniam nostrique volunt augmenta Lycei:
Decursus hodie recidiui mensibus anni
Nostra litatur Catharina festa coimus,
Qui numero Musas equamus, turba Sophorum.

Causa nec obscura est, nec vos nescitis: eodemque
Hos argumento pluteos vexavimus anno.
Nam, cum Cyprigena meretrix Baylenia Roma,
Perditione potens soboles, cui dextera pocto
Scortandi armata est, totum quod perdit Orbem
Panem propinavit: celebrumque abdomine regum,
Plus quam quis credat, timeto implet, haberi
Ista gubernatrix studiorum iussa virago est.

Et

Et partes implere tuas, ò Pallas Athene.
Hinc etiam nostri quondam patrona Lycei,
Atq; horum inprimis, animi qui oracula linguas
Expoliunt, formantq; suis è legibus, & qui
Ingenuas agitant cycli septemplex artes.
Hinc & Philosophi praelustre toreuma sigilli
Hujus in argento præportat imaginis umbram.
Hinc & ab augustà laudes iterare cathedrâ
Devotoq; precum cultu expalpate favorem
Istius, & leges & consuetudo jubebant:
Scilicet ut rectè moderetur sensa docentum;
Discentumq; animos incendat, & aure jacenteis
Excitet, ac nocuum studiorum avertat abusum.
Necros huic legi nervos incidimus omnes,
Nec prius ex aequo retinemus in omnibus usum.
Quò pietas jubet ire hominem, consultius illo
Tramite semper tum est. sic nos hac festa quotannis
Ritè instauramus: verùm Catharina nec hilum
Participat laud: quanta est ea gloria, Christi est:
Hic consopitos nimorum suscitât ignes;
Omnibus hic & velle, dat hic & posse magistris:
Hic movet ingenium, pubiq; in pectus amorem
Discendâ

Discendi insinuat, fructuq; hunc ubere donat.
Huic ergo annales laudum cumulamus acervos,
Ac quali-quasi solemnes carmine grates
Solvimus. Et certum est, non vili hoc pendere calos
Obsequium terra; nostris nec inutile castris
Nec fore Palladijs quicumq; hic militat armis. (ni;
Cum quondam Antiochus specimen crudele tyranni
Et vero Sipimanes dictus, quem cruda libido
Sanguinis immani furia vit in omnia ferro,
Durius J sacidas multos adfligeret annos;
Et, qua nec dici nec credi hoc tempore possunt,
Cui quid in humano est humani corde, parasset;
Atq; illud templum, quo non augustius ullius
Hoc, qui cuncta videt, Sol usquam vidit in Orbe,
Cade cruentasset miserè; spurijq; profanum
Numinis idolum (referens horresco!) locasset
Non juxta forum valvas, sed in ipsa sacrorum
Viscera sanctorum, quò ter veneranda iehova
Majestas ignem atq; focum & conclave tenebat.
Hoc celebrata die sunt festo Encania plausu,
Auspicio Domini, Machabeo principe Judæ.
Obscenaq; lue purgarunt atria templi,

B

Secre.

Secretumq; Dei quondam penetrabile, quod atrox
Impietas ausa est Jovia spurcare Mephu:
Quiq; profanati gentili sorde fuere,
Verterunt lapides sevuinq; altare ruerunt:
Et prisca n ad faciem puri molimine saxi
Rursum erexerunt quadrati segminis aram.
Vasaq; sacrarunt, & sessile candelabrum,
Cera illustrarunt & flavescente lucernâ:
Et mensam statuere novam, panesq; diurnos
Proposuisse Deo. soluiq; volumina veli
Expluere pandere sinu: & fragrantis acerrâ
Turis odoratas fumum sparsere sub auras.

Non hoc exemplum nihil est irritatus ab una
Hic Luterus id est & ab una parte Melanthon.
Quae si non eadem, possunt simulacra videri.
In quanta errorum nebula quantisque periculis
Religionis erant majorum secula; notum est.
Quoi tunc Pontifices ad caeli sidera pontes
Non duraturi ligno struxere scilicet;
Posthabito solus via qui pratoria, Christo?
Ad terrae fines & de via busta Jacobi
Quaesitum lucem laterna Diogenae

Urgebant

Urgebant homines: cum lux illustris in ipsa
Fulgeret cuiusq; domo, radiaret in ipso
Pectoris abscessu, atq; oculis cernenda pateret
Et palpo tractanda manus: nisi nobile Petri
Excrementum istud Romanus Juppiter icctu
Fulminis hanc toto stupefactam exstinxet in Orbe.
Sapè sacerdotum rasà de gente quis, acri
Cui ihyrso Pietas animum percusserat imis
Sensibus, expensas longa ratione ferebat
Votorum summas: Et ne se falleret ordo,
Pensilibus cautè sphaeris numerabat: Et alta
Conestans modò voce deos, modò pronus ad aram,
Murmura prepropere contortuplicata rotatu
Intùs volvebat tacito sub pectore secum.
Mox ducebatur supremo à vertice, signi
Multa decussati series ad pectus, Et ipsum
Posticum tergum; clamando, scilicet haec sunt,
Haec arcent amuleta omnes cacodemonis artes.
Si quis in Amramide tabulas, quas ipsa Iehova
Descripsit sacrosancta manus, peccaverat; Et qua
Christus in indivijs humani corporis; Et qua
Agmen Apostolici duodenum nominis olim

Sancivèrè gravi momentùm pondere; tali
Visus is est noxa sese adstrinxisse reatù,
Ipse satisfactò quam planè exsolvere possit:
At Romanisci violans decreta Tonantis;
Quæ solida pietatis homo non tresse minuto
Aut cassæ juglandis emat tabente medulla;
Is scelus admisit tanta delebile pena,
Qua nec contritu nec pœnituisse sat ullo,
Sed solo argenti potuit clangore piari.
Hinc & patrum atas Philyra per compita nostræ
Vendere Tetzeliden Indulta piacula vidit,
Ac pulchrè insidias gravidis, ut Agyrtæ, crumenis
Ponentem agricolas vicatim emungere nummis.
Hæc, & quæ poteram deliri plurima monstris
Dicere nugamenta, salutis amata periclo,
Tertius Helias divino calitùs igni
Fulminis armatus vanas disjecit in auras
Ille Lutheriades; Domini sacraria templi
Indignis spurcata modis extersit, & omnes
Quisquilias everrit, & omni expulverat imum
Sorde pavimentum, & summi laquearia topi:
Suggestoq; araque suum reparavit honorem:

Et

Et quæ Pontificum vecors audacia quondam,
Ignarumq; pecus Monachorum; & pestilis ordo,
Qui non erubuit mentiri nomen Jesu,
Sacilega rapuere manû, pessumq; dederunt,
Restituit grandi Machabæos amulus ausu.
Hi plutei norunt, dio quos percitus astro
Sæpe manû plausit, novit hoc structile textam,
Parietis; hoc, quanta est, novit Germania tellus.
Hoc Notus & Boreas, & quæ domus utraq; Phæbi est.
Quisquis ades, qui monstra Caci Latialis abhorres,
Luterumq; ortum gaudes, tristaris abortum;
Qui cupis adsertor doctrinæ illius haberi,
Quam posito squallore sitis splendescere iussit,
Die tacitè, (clare vobis ego verba præibo)
Vivat Luterus, Luterus vivat: & olim
Mortuus è tumulo fulmen jaculetur in hostes.
Iam, quæ colluvies, qui cinnus & horrida squalles
Et linguas, animiq; bonas obsederat artes?
Quis non interdum concusserit ilia risu,
Quis non interdum stomachetur & astuet irâ,
Cum legat obscuri delira sophismata sensus,
Quæ non lector homo, sed Delius augur Apollo

Divinatrici vix conjectaverit arte:
Aut cum barbarici portenta vocabula monstri
Audiant, haud ipsi satis intellecta Sibylla?
Hanc pestem miseratus, opem Charis illa Melanthon
Qua potuit ratione tulit, Grajamq; polivit
Scabritie Latiamq; olida sartagine linguam;
Atq; animi laqueos nodiq; plicatilis uncas,
Quos venatores Logici per inhospita lustris
Devia in insidiis furtim posuere, bipenni
Gnaviter incidit rationis & artis; & istas
Sermonum spinas, quibus ingeniosa juvenus
Et punctum & rasam jacuit concisa tot annos,
Qua fieri licuit, radicitus extirpavit:
Et linguas linguis & reddidit artibus artes.
Quisquis ades, cui mundities sermonis amata est,
Quiq; bonas artes animam reparasse priorem
Ac vivo Logica cultu splendere gaudes,
Dic tecum (clare vobis ego verba praibo.)
Vivat in hac cathedra, vivat Charis illa Melanthon,
Spargat & è tumultu solitum Philomela canorem.
Semper & hanc aliquis Catharin mihi carmine vates
Nobilites, diviq; canas monumenta Lutheri:

At

At, queso, caueas obliuiscare Philippi.
Paruus erat, sed grandis honos in corpore paruo
Et cur annicula praconia tantula fama
Inuideantur ei, clara qui nominis aura
Aeternis potui Vitebergam includere fastis?

Oremus. Calor omnipotens, diffusilis aura
Numinus, et Pairis Natiq³ reciproca virtus,
Spiritus alme, tui septemplace muneris usu
Munera dispenjans homini sua cuiq³ colonos
In messem protrude tua: tua messis abunda est
Messorum sterilis proventus et igne vocatos
Flaminis ure tui: quoniam non unus et aliter
In messem hanc ultrò currunt a nemine missi.
Et fac pura legant ab aristis grana, relictis
Glumarum siliquis: ut alantur ab indole viva
Pollinis excreta, non crasso fursure, quot quot
Ad tua comportant sese granaria pastum.
Fac sint concordēs messorum turba, nec ullo
Disiliani livore, nec ambitionis ab ullis
Adflari ventis sese patiantur irulti
O vos sacrorum mysta, germana Luheri
Progeiis; sic Deo, si vivere vobis

Si

Si vultis nobis; quam condidicistis, eandem
Porro propagetis doctrinam ad secla nepotum.
Non minor est virtus, quam discere, docta tueri.
Hei mihi, quam crebro pendens Lutherus in istam
Despexit cathedram, motaq; crepidine muri
Pulverulenta comix obscura excussit, & airam
Ore veterioso quam nevit aranea vestem
Deiciens fronti sermonem in talia solvit:
Aut si non solvit, potuit solvisse videri;
Mentiris Cain! non hac sententia nostri
Dogmatis: & nunquam febris quartana tot astus
Tot peperit fumos cerebelli in fornice nobis,
Quot vos delira conceptu mentis ineptos
Fingitis excessus & monstra evanida glossas.

Quam saepe huc oculos credam torsisse Philippum,
Illud Aristo. elis nativum germen; & artes
Dilaudasse tuas & acuti examen acervi
Miratum tacito, flos o genuine Sophorum.
Quam saepe hoc etiam, tabula ni insensile lignum
Os obturaret, linguamq; rigore teneret,
Dicere Aristotelis spuris voluisse magistris;
Et qui matre domi vix & custode relicto

Præcociis

Præcoci ingenij nimiaq; cupidinis astu
In pretium deforme sui prolapsus in ista
Seq; suosq; logos audet jactare cathedra:
Ne satis esse putes, ô acute Sophile, cavillum
Argumentorum puerilibus edere formis:
Texendoq; retexendoq; sophisma, probatum
Reddere; Non murem, sed verò disyllabon offam
Rodere caseoli; magnaq; reponere hiatu;
Ad Minus à Majore valet collectio firmè:
Atq; figurarum classes titulosq; Modorum
Barbara, Celarent, & talia dicere. Non hoc,
Non satis est. majora decent hac pulpita, quam qua
Vulgus opinetur. Nonne hæc, divine Melanthon,
Cujus imago ferè comes indivisa Luthero est,
Siliceat, velles ex hac iterare tabellâ?
Verum ubi tu? qua te manus invidiosa refixit?
Aut qua te nondum est dignata adfigere? Quanquã
Quid refert? tua cum digitis depicta Minerva
Pendeat effigies celsa ad spectacula mundi.
Vos, ô Philosopher prestabitis ordo corona,
Auribus auscultate: & qua fero, mentibus aquis
Accipite: & quâ fas, defensum hanc ire Philippi

C

Sermo.

Sermonis faciem, studiumq; viamq; docendi. (pium
Miltus in hoc, Reichardus, eras, quem nuper adem-
Conqueror: Et redimi lacrimis si posset, in istas
Hos oculos cerebriq; tholum liquefcere vellem.
Qui fuerit, norunt, nisi si quem livida tabes
Non sinit invidie, quod pulchrum est, noscere. ceriè
In egritas vite, pietas, promptumq; merendi
De quovis studium, gravitas comusq; venustas
Ingenuo saluta pco, vernansq; diserta
Floriditas lingue, poterant imitamen haberi.
Lactea pluma nivis, qua ludit ab aethere puris
Floccorum nimbis Et humum splendore colorat,
Præ candore tuo, poterat non candida dici.
Multa lucri faciens verborum, ita censeo: si quem
Ferre potest Musis numero par turba Sophorum,
inter eos meruit Reichardus Apollo vocari.
Et non è tumulto, Et non è manibus istis
Nascantur violæ: licet impenetrabile saxum,
Floris ad egressum nullo se laxet hiatus.
Æternum, Reicharde, vale: vale optima nostri
Pompæ sodalitiy, quæq; hic tibi carmina libo,
Luræ grana pu. es Et vivi nectaris haustum.

CHRIST.

CHRISTE homo diue, Dei patris immemorabile Ver-
Interpres hominum, trini oratorq; senatus, (bum,
Præuius ipse facem, socio quam Flamen ab igni
Ventilet accensam, per tot præfero tenebras
Qui poliunt linguas, & qui poliuntur in istis,
Quiq; docent artes, quiq; hæc docentur: ut usum
Hi capiant, illi præter stipendia laudem.
Fac se conforment ad legum edita iuuentus,
Ingenuamq; bonis doctrinam moribus ornent.

O moros mores! In nostrum hoc dico pudorem,
Hic nomen M O R E S defunctum & pænè sepultum est:
Et jam nil restat, quàm ut conclamemus; & altâ
Voce quiritemus; Actum est de legibus, Actum est
De studijs, & quod caput hic, de moribus actum est.
Ceterane memorem, fieri quæ plurima vulgò
Et fando audimus & coram cernimus ipsi:
Ecquis non, sana cui vel semiuncia mentis,
Istud abhorrendum, dirisq; & fulmine clamet
Ad strigas ad furias & dandum ad tartara pessum?
Quando silet seris nox intempesta tenebris,
Perq; urbem placido se mulcent omnia somno;
Potiores, zythum qui percolare parati,

C 2

Audire

Audire est madidis passim ebullire tabernis:
Ventre saburrato, stolideq; per obvia ferri
Compita, Baccharum riuu; horrificoq; boatu
Humana indultam genti infestare quietem.
Ille opifex tauri tormentorumq; repertor,
Qui funesta no vocusit faber ara dolori,
Primus & insuetum, Siculo cogente tyranno,
Sensit opus, docuitq; suum mugire iuuentum;
Mutus haberetur, si quis conferret. & Orco
Fanitor, horrendum latrat qui fauce triformi
Cerberus infernas rabie stimulante per umbras;
Mutus haberetur, si quis conferret. & ille
Stentor Achivorum recidiva ad mœnia Troja,
Quinquaginta alios qui contudit ore canoro,
Non vocalis erat, si quis componeret istis.
Parva loquor: Getica quanto clamore cohortes
Miscentur, tanto nubes & sidera pulsant.
Iures, non homines, sed bucera secula tauros
Hinc mugire, feros illinc rugire leones.
Sunt, qui damnificâ saxorum grandine vicos
Inficiunt urbis: & quò via publica tutum
Spondet iter, plagas & mortem sepè timendum est.

Sunt:

Sunt etiam, verum plerumq, novitia pubes,
(Nam cui maturo firmatum pectus ab auro est,
Et diris agit haec; Et quò vitare licebit,
Vitat) inexpertà qui libertate feroces
Grassantur stricto per diverticula ferro
Perq, forum Et plateas Et cuncti tramitis actus,
Ac miseros cadunt lapides stratamq, viarum:
Ignis ut exsiliant strictura. nempe daturi
Virtutis documenta sua; quam mascula gestent
Pectora, quam non sint Musarum germina tantum,
Sed fortes etiam generosi Martis alumni.
Hei cacos animos Et adhuc ductoris egenteis!
Nonne vides, lapides, gladio quos impetis, ipsos
Occlamare tibi, Quid me, furiose, lacestis?
Quid lapidem lapis ipse feris? ego crimine parus:
Nec contra defendo tuos neq, sentio sictus.
Quòd si tanta tibi est certandi innata libido,
Hungarios pete miles agros: ibi maxima merces
Armorum est, Et habent dignam certamina laudem:
Invenies ibi, qui possit referre; pariq,
Savitià tumidos animi contundere fastus.
Hic lamentando lessum faciamus oportet s.

C 3

Si

Si nondum in nobis lacrimarum exaruit humor,
Si non perdidimus sensum & momenta dolorum.
Quicquid es, & quanta es, ô Hungaris ora, peristi!
Ipsa salus non esse potest tibi porro saluti.

At tu, Christe, potes; tu vis. sed nostra volentem
Crimina te frenis retrahunt, religantq; catenis.

Inclita Germanis, Quarti nutritula Regni,
Eja age, resinâ lentum-magè pelle veterum,
Ac monita Hungaria tandem sapere incipe casu.
Nunc tuares agitur: paries nunc proximus ardet:
Nunc dilecta tui scandit tabulata palati
Flamma vorax; apicis jam culmina summa relucens
Cernis, ut augustos Aquila illa birostris alumnos
Exigat Imperij: tantam ut restinguere flammam
Ocius adproperent: nisi totio incendia nido
Grassari carosq; velint exurere pullos?

Quid nos? ô rata sit nunc prisca licentia Vatum!
Egererem, quæ multa coquit dolor intus: & ad rem
Si minus ingenium, daret indignatio versum.
Sed tempestivè reminisci mandat Apollo,
Cur Tacitam fecisse deam te, Romule, dicant:
Harpocratesq; jubet Ægyptius obviam signans

Ora

Ora salutari digito meminisse suum st!
Mercurij Morpheus narravit ab Austride terra
Auditum mirum, sed dignum hoc tempore credi.
Hic gemini fratres, ait, unâ matre creati:
Dissimiles sed uterq; trahunt a semine mores:
Hic longe ventura notat, dubusq; paratus
Casibus occurrit, caueq; examinat omnes
Fortuna eventus. dictusq; exinde Prometheus.
Ille instar pecudis non impendentia vitat,
Nec res ante videt; accepta clade gemiscit,
Et serò transacta dolet: Non herclè putâram,
Symbolon illius. vulgò hunc Epimèthea dicunt.
Et nuper fratrem frater proscripsit, & abs se
Alter in exilium portare Prometheus iussit.
Quem Turci letis exceptum plausibus, omni
Consilio, quâ pax, quâ bellum, adhibere feruntur:
Cujus nos tanto rerum in discrimine facti
An pudeat pigeatve magis, non dicere promptum est.
Quanquam fama refert, ad amana binominis Istri
Castra Raubona summo iurata Rudolpho.
Numina Primatum sapiente coire senatus;
Quae postliminio queat huc remeare Prometheus.

Hæc

*Hæ: Morpheus. Et cui non planè lumē ademptum est,
Cernit in his umbris radiosa vibramina lucis.
Sed jam finis adest. Hunc voto solvere cœtum
Et pietas rigidiq; iubet vis dura necessi.*

*TRINE Deus, Deus une, trium crudelibus ausis
Fulmina penarum nos uno tempore plectunt;
Bellum, pestilentia, victus penuria. Cur nos
Cur tot supplicijs simul, ô Deus optime, mactas?
Atqui tu Pater es; nos filij; Et sanguine Fill
Germina lota tui. Sic nos. Quid Jovæ reponi?
Vos nequam filij: patrem genuina propago
Non temerè irritat. Nunc ite: viaticum habetis.*

D I X I.



SOLEMNE PHILOSOPHORVM

In Academia Vitebergensi

Anno cl. 13. 11 C.

Per vicere iterum, quos vincere posse negabam,
Hunc offirmatis animum sua vota prementem
Consilijs: minus ut grauer indulgere laborem
Ingenuq; aciem, quamvis hebes illa, Sacrorum
Solenni festo, quo se Catharina quotannis
Facitat, aut potius quo nos jaetamus ob illam,
Nos, qui Philosophi censemur; & amula Musis
Quos studia exercent, numeriq; novemplicis augmen
Exaquat pariter. Neq; me, nisi naris obesa es,
Et rationis egens, ratione carere putabis:
Quod me difficilem factu non magna rogantium
Præbuerim votis. Non hec mihi tradita cura est
Legibus, aut veterum sancito debita patrum.
Nec quisquam temere affecta: monumenta laborum
Alierius desponsa opera, nisi perditus ori
Induat os durum canis illud, & exsuat omnem
Frontis honestatem. Neq; me coquit æstus honorum,
Aut amor ille sui titillat, ut improbus optem

D

Me

Me versu clarare meo, ventosaq; laudum
E pluteis hodie venari puncta iuventa.
Sat mihi, satq; alijs sum pridem carmine notus,
Et plus quam cupiam: possemq; indicta priorum
Multa pati, effrangi quæ præcepit ardor ephæbo
Haud percocta satis vulgi eructavit ad aures.
Nec vis materia tanto sese ubere rerum
Sufficit; ut, quos vel mediocres armat in ausis
Spiritus, ingenij vires aut vivida culta
Ostentare queant linguæ ornamenta: sed expers
Roris, in exsuccâ cultorem fallit harenâ.
Et quid dicendum est, quod non & diximus annò,
Et qui decursum prævertit proximus annum?
Nec quid me allecetet, vel quid delectet, apertum est;
Cur hoc in versu mihi vel concinna venustas,
Vel grave subducta queratur fronte severum.
Hanc quoties aurem mordax mihi dictior asit,
(Non etenim corio est obienta elephantis, ut isti
Non penetrent punctus) ac si summo ore LUTHERI
Commendarim operas, imo de corde PHILIPPI:
Ac si liberius calida peccata iuventa
Invectus fuerim: quæq; istis plura malignè

Affri-

Affricuit scabies animi linguaq; flagellum.

At vos & cineres & non-mortale LUTERI
Nomen, & hanc cathedram, ternos huc advoco testes
Carminis innocui. Tuq; his veneranda tabellis
Effigies, stupidum ligni pervince rigorem,
Atq; oculi trans mitte aciem, penitusq; remotos
Pectoris abscessus mihi perscrutare; videbis
Rectius in parvo tibi me sermone probatum,
Quam quibus immenso de te clamatur hiatu
Flias interdum. Quod tu, cui fingere cacos
Nemo potest impunè dolos, DEUS optime, nosti.

Res dura exsilium, & rerum durissima: verum
Cernere privatum se libertate loquendi,
Quum libet; exsilio res omni durior illi,
Cui mens ingenij candoris & oris alumna est.
Sed quid ego hac autem nequicquam ingrata voluto?
Debet adhuc nasci ille cocus, qui noverit omnes
Sic condire cibos, sapidi ut sint omnibus aequè.
Vitalesq; vivit nondum iste Poëta sub auras,
Cui felix adeo formasset Suada loquelam,
Unus ut in magno probet omnibus omnia cœtu;
Quamvis & pulchrè & doctè liquidissima veri

D 2

Argu-

Argumenta serat, quae tangi & tangere possent.
Usque adeo sua quisque sovet certamina secum;
Et pulchrum sit cuique suum: sunt cetera nugae.
Sed quicquid fuerit, libertas illa Poeta
Ne pereat, nigrum quae nigrum, & candida quae sunt,
Candida, forti animo & recta ceruice, vel ipsum
Dicat in os Penthei Bromioque furentis Agaves.
Quod felix igitur, faustumque sit; annua nobis
Festa celebrandum est Catharinae dedita sacris,
Qua terras olim stupefecit & aetheris orbes
Doctrinae fama: partesque implere virorum
Foemina sustinuit, nulli nec ab arte nec usu
Nec linguae cului quicquam cessura Sophorum.
Hinc non solum illam persuasum est numinis auram
Calitus ornatae; sed & hac ornare precantes
Et posse & velle. Hincque adeo patrona Sophorum
Capta coli est aetate patrum, cum nubilus aer
Sublustris maestam tenuit caligine lucem,
Inque pari precio fuerunt Deus atque dea stri.
Hac quoque perpetuens communes Leucoris umbras,
Sancivit, meritis ut diuam laudibus ornet
Hanc Sophus, ac Missam deuota mente quotannis
Concinat

Concinat: ut studio ac precibus permulsa, docentum
Discentumq; probè moderetur & augeat artes.

RECTOR, magnifico moderans hæc publica nutu,
Tuque LOSERIADE, quem Pretzcius Albis adorat,
Quem virtus animosa diis heroibus aequat,
Cui mentem Pallas, Venus os decoravit, utrumq;
Juno divitiis, Saxo auxit honoribus amplis.
Et qui prætereà peregrina sortis & agri
Auditum venistis epos. vosq; ordine nostri,
Barones, Mystæ, Consulti, tria Medentum,
Tuq; vacans Musis numero densissima pubes;
Vosq; Sophi, quorum hic jam præco vicarius adsto,
Huc aures huc & faciles advertite mentes;
Dum laudes Catharina suas me vate reportet:
Et jussu legis, si lex est, Missa canatur.

O dea, si qua dea es! quin ò homo, si qua fuisti
Unquam homo! quod multi pertendunt ire negatum;
Atq; illud plures, imò omnes, quot quot ab Orco
Persephones Itala, Christo duce & auspice, sacrâ
Prælucente facem Scriptura, animosa LUTHERI
Eripuit virtus, celoq; ostendit aprico.
Quicquid eras, cujatis eras; me iudice, nullum

D 3

For!w

Fortunare tuo potuisti numine captum:
Nec poteris hodie. Et surdas di verberat auras,
Qui prece cunq; tuas impellere nititur aures.
Omnibus adscitis hec laudum summa iuarum est.
Jam sacrum Missæ, si sacrum est Missa, quod olim
Ceca superstitio templis invexit avorum,
Ad legum monitus peragemus, at indole nostrâ.
Vos aperite caput, sanctoq; calescite motu,
Inq; habitum orantis formati, ita dicite mecum:
O ter-Sancte Deus, cui sedes arduus ather,
Et Pater & Fili, tuq; indivisa duorum
Copula & aterna non degener halitus aura,
Tres numero, sed tergemina vi numinis uni,
Quas tibi debemus, imò quas possumus, ultrò
Pendimus obnixas uno ore & pectore grates:
Quòd non ad terram, ceu brutum ignobile, prorum
Afflixisti hominem, sed recto ad sidera vultu
Celsius erexti, & generosam calitis aura
Particulam & sagarationis acumen, & artes
In queis grata tui sparsim exstat fama, docendas
Discendasq; bonis ad postuma secla nepotum
Legibus indultas voluisti: & tempore patrum

His

His quoq; sic nostram decorasti Leucorin, ut jam
Victricem possit multus obvertere palmam.
Supplicioq; tuas, J E H O V A, laceßimus aures;
Vt, quæ dona tuas hodie largitus & olim es,
Propria sint nobis, seraq; propaginis heres
In temerata suis eadem transcribat alumnis.
Sic doctrina tuo de numine lumen in istis
Artibus inveniet, nomenq; per ora piorum
Alterno sermone tuum cum laude volabit.
Haec tenus oratum est. Sed quis, cui scandere jus est
Hanc cathedram, partesq; cupit tractare Poeta,
Audeat hanc fœdam Musis imponere culpam,
Vt vel inornatos patiatur abire, vel atro
Dente laceßitos obscure vellicet, olim
De studiis rectè meritos & Leucore nostrà?
Vel quis tam stolidè mihi sit fastosus, ut hircias
Nequiter obturet nostris sermonibus aures,
Si memori quondam versu redi viva bonorum
Nomina cantari præens audiverit, absens
Imbiberit fando cantata decenter, ab ista
Præcipuè cathedra, quam vivi Solis abortu
Solis ad occasum splendenti lumine fama

Illustra-

Illustraverunt; ubi tot miracula renata
Edita doctrina. Prò, qua mihi copia rerum
Suppeteret; quantà me possem ostendere pompà
Carminis? ante diem componat vesper olympo,
Et nox humentes abjungat mane jugales,
Rursus & anticipent fugitivi sera diei
Altera: quàm leviter revocatam ab origine famam
Vel pressus valeam narrandi stringere metis
Unius, LUTERE, tui virtute paratam.

Hei, quàm nunc cuperem totis agitare quadrigis
Agmina Musarum spaciosaper aquora laudum.
Forsitan antiquis nil concessura Prophetis:
Hac nisi Festa sua transcriberet ordo Sophorum
Propria militia: cujus pars ipse meorum
Castra sequens meritò cognatis prelior armis

Tu mihi primus ades, fortassis & unus: ad omneis
Qui natus tamen unus eras divinitus artes
Sorde repurgandas. tacito me, noscere promptum est,
Quem dictum cupiam: solum te nempe PHILIPPVM.
Credibile est, magni circum sua mœnia Mundi,
Et vulgo abstrusi fatales sideris ignes,
Et Genius, natale comes qui temperat astrum,
Natura

Natura deus humana, ceu fœdere pacto,
In genesin jurasse tuam. conjuncta tenebas,
Ingenium poterant quæ condere singula magnum.

Credibile est, docuitq; eadem post exitus ingens;
Et ternas Charites, & ternas insuper Horas,
Terq; deas ternas Heliconia numina Musas
Florenti sociata jugo plausisse choræas
Nascenti puero, trepidâq; à matre rubentem,
Sublatumq; solo teneris fovisse lacertis,
Atq; almo lactis suctu nutrisse: rigatumq;
Aonio sacra Permessidos imbre, tepenteis
Voluisse in cunas, ac leni ambage moventes,
Hæc pro somnifero cecinisse oracula tallo:

Incipe, care puer, solidis adolescere membris,
Qualis in aprico fecundi margine rivi
Nisibus occultis se subijcit arbor in auras:
Ut vis ingenij, quote Deus auxit; & auctum
Prodidit arcanis genitura schema sub astris,
Debita maturo ferat incrementa vigore.
Tu puer audebis, vix grandi audenda juventa:
Et vix dum juvenis partes implere virorum.
Nec se ullo tantum Rhenus jactabit alumno:

E

Nec

Nec doctos inter, quot habebit Teutona tellus,
Tot docta ingenio miracula cernet in uno.
Cræca tibi Peitho, Sirena, Latina, potensq;
Hebraei Suadela jugi, tres triplice linguam
Flore venustabunt: ut qua pedore situq;
Obsita squallescunt autorum sensa, nitore
Restituas, clarâq; hominum sub luce reponas.
Tu Logica fabricas tortiq; sophismata nodi
Carnifices imitata rotarum fixationis orbis,
Queis torsere diu serva dispeffa iuventæ
Pectora, & infami suffocavere reatu;
Alius impactâ, suctu sapiente, bipenni
Disjicies; artemq; novâ rationis amussi.
Rursus ad ingenuos antiqua lucis honores
Formare institues; ac pubem simplice filo
Gnostiaca duces ad operti semina Veri:
Quin & civilis moderatrix Ethica vitæ
Florentem accipiet te formatore colorem:
Quin etiam cacos natura evolvere mores,
Quid lucens mundus, quid spiritus ignis, & aër,
Quid latice frigentis aqua, quid & arida terra;
Et quæcunq; suo concors discordia cætu

Conci

Conciliant elementa, quater sociata propago;
Turritè instabis: Scitumq; mereberis istud:
Felix qui potuit rerum cognoscere causas.
Tu decus historia; specimen tu nobile, quantum
Polleat humana vis indolis. omnia magnus,
Omnia. quod Phœbus nobis, id habebere quondam,
Cum Sapiens Saxo Ludum fundabit ad Albion.
Te præceptorem non pubes sola, sed ipsi
Qui præceptorum fungentur parte, vocabunt.
Quin & nulla tuas isthic oblivio laudes
Obruet. & cum jam fatale expleveris ævum,
Inventus semper dabitur, qui cara PHILIPPI
Nomina solemnè Viteberga voce ciebit.
Hætenus. Et cui non spiramen naris opertum est,
Quid sit, odoratur: & n̄ nos livida tabes
Abstrahat invidia, verum has cecinisse fatendum est.
Nec me transversum rapiet sententia Crispi,
Qui negat in tantâ meritorum laude PHILIPPUM
Censeri meritò: cum lumen clarius omnes
Transfusum nostra sit tempestate per arteis.
Fortassè. at noctis furvas te pone sub umbras
Atq; alios juxta crudeli cade furentes

E 2

Teq;

Teg³ impendentes: Et quis tibi primus in astus
Suscitet igniculum, quo pralucante periculum
Defendas capiti. nonne hunc plus omnibus unum
Et fecisse putes Et gratà laude potitum?
Quamvis sexcenti post ex hoc igne secuti
Lampadas incendant, atq² omnia luce frequentent.
Res facilis factu est inventis addere cultum.
Hei, quàm multorum lolio sterile sceret aruum
Ni vitula sollerte MELANCTHONIS illud arassent!
In cultu Sophia dico: nam cetera non sunt
Huic decreta loco, nec cura debita nostræ.
Quanquam multa etiam sacri mysteria Verbi
Eruit e tenebris calami virtute, librisq²
Tradidit ingenuis sero spectanda nepoti
Ad claram lucem. Num quicquam coxerit intus
Quodq² subarato mendosum tinniat auro,
Non scrutor: fecere alij. calidumne PHILIPPUS
An gelidum biberit: panem atrum anne ederit album
Privatus conviva domi: seu deniq² calvus
Sive capillatus fuerit, non curat Ofellus.
Illius ingenuum ne quis sophos inquinet, omni
Iure procurandum est, magni quos provida virtus
Saxonis

Saxonis hoc jussit suggestu instare cathedra.
Pro se quisq₃ datas contentè exerceat arteis.
Tu Logicas exterge acies & acumine firma,
Et laevore pari Speculum morale polio:
Hæc uo cum Princeps velit uno Marte doceri.
Tu Physicas rerum penitus scrutare latebras.
Vosq₃ Mathematici, quibus est mos ire per altum,
Ac superùm tentare domos, animoq₃ rotundum
Pellustrante polum distantia sidera vestris
Acclinare oculis; jussos urgete labores,
Et volucres memorate rotas, legesq₃ rotarum
Queis replicant solitum constante volumine gyrum.
Stellarum docto signate in pulvere motus,
Quales sollicito deprendit pollice quondam
Memphis acuta suis nunquam inficianda patronis:
Quæ moveant momenta polum: quis certus in astris
Error; in obscuris numeri quota puncta tenebris
Defectum teneant Solem: qua linea Phœben
Damnet & excluso pallentem fratre relinquat.
Quaq₃ perenne ratos distinguant tempus in orbes
Cetera; præceptis docili monstretis ephēbo:
Et quæ quisq₃ potest, artem stabilite minantem.

Ε 3

Comminus

Co mminus interitum. Demental opinio multos
Si memori norint animo depromere quinos
Zonarum tractus, septenaq; monstra Planetas;
Filaq; dispositis vicibus comitantia caelum,
Per qua dirigitur signorum flammens ordo,
Non dico in calis sed crassi in fragmine ligni
Posse recensitis digitorum expendere nodis,
Atq; ARIES, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraq; Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces
Dicere; qua citius possunt disci atq; doceri
Quam faber impingat soleas ex are caballo;
Posse vel Astronomi titulosq; merere magistri.
Vos ite his contra, turpemq; afferite pudorem
Qui numeros abaci sectoq; in pulvere metas
Aut nihili pendunt, aut stulti a sine cohercent.

Vosq; Professores, tenera qui dadala publi
Munera Linguarum triplici sermone polittie;
Hoc agite: Et doctis horum os obtundite dictis,
Qui stolido audebant dissensu tendere contra
Res pulchre inventas non pulchris dicere verbis,
Est in polluto mala aurea ferre catino.
Tuq; Poeta, tuas imprimis exige partes,

Et

Et Phœbum & Clarias decimâ cum Pallade divas

Adsere vindicijs: &, quas adspargere quidam

Adjectant maculas, purgatis elue limphis.

Pegasus afflictu summi pedis excitat undam:

Sed nosti, qualem? non crasso humore jacentem

Colluviem, aut qua su fœtenti turbida limo:

Sed fontem salientis aqua, qua purius auro

Clarius electro tempe Cyrrhaea bicorni

Interfusa jugo lapsu transmittit, & alnum

Sufficit aeternò potantibus inde liquorem.

Scisne, hæc quo tendant, hodie cui tanta lubido est

Evandri cum matre loqui, sapidiq; medullâ

Pollinis abjectâ siliquis & fursure pasci?

Ad verrucosos Charitum, inquis, planitùs ocreis

Degrumabo viam, & toppe verabo, truones

Ruspâri ut lingua decermina casca potissint,

Non hæc atiegrî suppiq; investis apludam,

Sed quam cincturi pappum evannare saperda.

Quid vos, ô pubes? ego non intelligo: & ipse,

Quodliquidò jurem, se non intelligit autor.

Ac nisi me tam spissa virum manus undiq; cingat;

Clamarem, Insidias vati defendite: prodor

Aur

Aut praesens venalis agor sermone bilingui.
Sed quaei fungus ego Francoq; sub aere natus,
Haec caperem tantum sacris indulta Poetis?

Scilicet hic Lingua prisca est & sola venustas:
Cetera de trivio: quid enim Maro, Tullius, Umber,
Livius, ac Naso, quos illud Caesaris avum
Laudat & Augusti, Latiae sint regula Linguae:
Cum dicant pueris verba intellecta; nec hilum,
Quod vel miretur, vel re dignum aestimet ullà,
Cui grande ingenium est, narisq; emunctior usus.

At mihi, nescio quis, (nec enim res semper ad omnes
Tam felix meminisse meum est) juratus apertis
Respondit verbis; & habebant pondera Veri:
Si vel Virgilij coquus, aut Ciceronis agaso
Dixet ad hanc faciem, deturbati ambo fuissent
Furca praecipites, stabulo iste, atq; ille culina.

Vos vestras curate, suas (quod spero) Poeta
Curabit partes; & in hanc sermone pedestri
Incurret sectam, quamprimum Comica socco
Musa pedem exsuto Truculenti Plaudere merebit.
Quod fortasse brevi, superat si vita, futurum est:
Nec mendax vestram casso spem ludet hiatu:

Ipse

Ipse meâ promittit fide: ne spernite prædem,
Qui pro communi rem perfecturus amico est.

Hoc etiam nobis Sophia doctoribus esto
Inculcatum hodie: ne quis solemnia credat
Sacra profanari, si comperiat omitti,
In quod committi, nobis sit grande piaculum.

Religiosa novem coluit sapientia divas
Musarum titulo: nec erat rationis inops res:
Omnes ingenio nexas per mutua nodo:
Omnibus æquis honor: nolle & velle omnibus unum:
Nec tantum consorte satum, sed amore sorores.

Nosq; novem Musis numero sumus æmulus ordo.
Fas igitur, studiis quos una professio jungit,
Simus item socio conferti pectora vinclo:

Nec fronte adversi speciem simulemus amicam,
Aversis tergo contranitamur, ut olim

Manoada vulpes. Hei quò, dulcissima rerum,
Mascula simplicitas nivi candoris abacta es!

Oremus. semper grave & immutabile sanctis
Pondus adest verbis: & vocem fata sequuntur.

CARE Pater (nam quo potius te nomine dicant,
Quos formasti homines, quos nutricaris, & abs se

F

Degene-

Degeneres proprij revocasti (anguine Fili?)

CARE Pater, Deus omnipotens, protendimus ambas:

Spe pleni, sed rerum inopes, ad sidera palmas.

Hac studio Schola nostra tuores digna videri

Possit, & invidia tabescere sentiat hosteis.

Qualis in hunc fuit usque diem; qua sola mereri

• A non-ingratis poterant longo ordine grates.

Nos clandestinis surgentia fraudibus urgent

• Arma domi, manifesta foris: ab utrisq; periculum:

Nostra tamen Schola salva tui sub numinis umbra est.

• Importuna vigent annonae incendia passim,

Et miseranda fames nimium res fregit eduleis:

Nostra tamen Schola salva tui sub numinis umbra est.

• Undiq; feda lues atroci incanduit aestu,

Funestavit agros, exhausit cruibus urbes:

Hic etiam letale aliqui traxere venenum:

Nostra tamen Schola salva tui sub numinis umbra est.

• Vtq; diu salva esse tuo sub numine possit,

Tu noster sis, nosq; tui. si scindimur, actum est.

Nemo hominum in terris, in caelis nemo deorum est,

Qui possit nobis aut qui velit esse saluti.

Florida Saxonica, iuvenes, tria germina Ruta;

CHRISTO

CHRISTIAS Augustum qua dextera sevit in hortum
Marchiaco traducta solo; vos deniq; Musis
Absentem arcesso meis: cunctaq; theatri
Applaudente manu nostratibus infero Sacris.

SALVE primatui, CHRISTIANE, Parentis imago;
Egregium spectamen Avi: Spes maxima Ruta:
Et tu spes Ruta Salve altera, JANE GEORGI:
Tuq; AVGVSTE, Puer Ruta spes tertia salve.
Una omnes salvete mihi, spes Prima, Secunda.
Tertia; quis iterum, CHRISTIANE & JANE GEORGI:
Tuq; AVGVSTE: novis & sensim insuescite curis,
Ac Patrie magnos representate Parentes.

ITE. satis dictum est: his ceterum solvimus, Jte.

D I X I.

Ne vacarent pagella sequentes, hæc adjecimus,
ejusdem Auctoris.

Ad Studiosos VVitebergenses.

J N FERIS NATALITIS J. CHRISTI.

Hæc est illa dies, quæ sufficit omnibus omnes
Lætitiæ numeros, & ovantibus ebria votis
Iubila, quiqui sunt, qua sunt & cunq; per Orbem.
Namq; Dei suboles nullis obnoxia sæclis
Ordinat augustam sæclis mortalibus æram;
Et fit homo, retinetq; suum tamen esse: nec auram
Exsui ætheream, terræ licet induat umbram.
Mater & ipsa migrat Naturæ pacta; tumescit,
Pubertasq; manet signata; meretq; vocari
Et genitrix & virgo simul: res mira! sed ecquæ
Nalcenti satis esse Deo miracula possunt?
Mirus ut est foetus, sic mirâ nascitur alvo.

Vt vitri glaciem radiati flammea Solis
Spicula traijciunt, neq; se vel lævor hiatû
Distrahit, impactæ neq; lucis adulterat ignem:
Sic habet hic partus. Sancto datur innuba virgo
Spiritu nuptum: vitium non sensit amoris,
Fœta tamen facta est; foetumque recludit in auras,
Ac simul est virgo, simul infantaria nutrix.

Cui

Cui fuerit res ista bono, mortalis amictu
Corporis obduci gignique è matre secundum,
Quem prius æterno, conceptum mentis, ab ævo
Ipla sui satrix Mens indivisa Iehovæ
Edidit, Amosidæ perhibent oracula Prophetæ:
GENS, quæ damnificis umbrarum obnupta tenebris
Ambulat, ingentem lucis speculatur honorem:
Et qui regna colunt infernis æmula fumis,
His lux exoritur fulgore simillima Soli.
Natus enim NOBIS Puer est, datus æthere NOBIS
Filius, imperium proprios qui imponit in armos;
Cui verum nomen datur, ADMIRABILIS, AUCTOR
CONSILII, FORTIS DEUS, ÆTERNI PATER ÆVI,
Et PRINCEPS PACIS. Neque vos graviore putarim
Mole fatigandos: hæc quando scita Prophetæ
Cunetarum superant momenta gravissima rerum,
Singula verba queunt oracula singula dici.

Hæc, Pubes operata sacris, jurata Lycæo,
Privatimque domi & solemniter angere curâ.
Non aliam poscunt operam Natalia CHRISTI.

Ne tamen immunes sitis, date munus ad Aram,
Aris, quique colunt aras donaria mystis
Non dare, sacrilegæ res est quàm proximam culpæ.



AD EODEM.
In Festo S. Angelorum.

Hactenus immensa freta fervere pubis ab omni
Germana ditionis agro compulsa sub urbem
Leucoris: ac quemvis obscura noctis in umbrâ
Nutrire armatas & flammâ atque igne lucernas
Sape & percussum temeto aut gurgite Zythi:
Exitiosa tamen non unquam incendia nostri
Ordinis autorem liquido profitenti a vero
Civileis ussisse domos: hoc casta Luteri
Sacula mirati, credebant prorsus habendum
Angelicae pietatis opus: causeque sat unum
Hoc alere, à nostris cur hæc Sollemnia festo
More frequententur. Quid nobis utile factum est?
Livida quam longè lateq; potentia morbi
Peste venenatos immari strage Tudescos
Interimat, notum est. quamque hoc Academia fato
Cuncta ferè temata suos rarejere cœtus
Atque gemens alio videat migrare profectos:
Una suis immota locis hæc duret, & augmen
Sumat, & infectas nihil impallescat ad umbras:
Spicula quantumvis sua vibret, & undique muros
Pestiluas oppugnet agens, animeq; venenum.

Ecquid

Ecquid in hoc aliquid momenti credis haberi,
Cur lux hac nobis adeò sit festa quotannis?
Mirum erat, & crebrum laudis certamen alebat,
Atque hodie mirum est, gratesq; Jehova meretur,
Nullam ex urbe domum Vulcani peste comesam
Aonidum culpa. sed an hoc non aqua prior
Mira potest, laudemq; parem gratesq; mereri?
Pestem hinc atq; illinc dominari mœnia circum,
Moliriq; necem, fluidoq; cada vera tabo
Sternere: nec Clariam tamen infestare juventam;
Sed plus plusq; novis augescere semper alumnis?
Quisquis in hac oculo sapienti cernis, & acris:
Pensiculas animi pietate: nec ore fateris
Hoc opus Angelica totum esse cohortis ab aqua
Indulium bonitate Dei: nec luminis usu
Nec polles animi, nec alis pietatis amorem.
O pubes studiosa, Deo libamina grates
Solve, quod has vigiles ad virumq; dicaverit Auras,
Qua luis & flamma nobis defendere pestem
Hactenus institerint. fiatq; ut deinde, rogato.
Quin fructus simul ede bonos: & munus ad aram
Pone tuum. Nequam est verbum, Cupio omnia quæ
Nec dare qua poteras. Res mortua, sola voluntas. (vis,

FINIS.

EMENDANDA.

Præter litteras & distinctionum notas passim fugientes, quas curiosè revocare non libuit, hæc paucula eminebant, quæ indicanda rati sumus.

*Literâ B. colum. 2. v. 13. post nihil est ponatur bipunctum: ibid. v. 19. l. (saligni)
B. 5. v. 14. l. dic. t.
D. 8. v. Extremo l. Genium,
E. 3. v. 11. post Obruet distinctio ponatur. ut ibid. v. 14. post Haætenus.
E. 5. v. 5. Hæc duo c. &c.*



FINIS





Ye 3447

ULB Halle 3
003 033 120




Sb.

VDA7

03, 2001 Bd.







Solenne festum
COLLEGGII PHI
LOSOPHICI

In Academia VVitebergensium,
Ex instituto majorum Celsissima
DOMUS SAXONIAE
Frequentatum ac versu celebratum
ANNO CHRISTI

Itemque vice altera
IIC.

Supra millesimum quingentesimum
Auctore
FRIDERICO TAUBMANNO
Poeta & Professore publico.



WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri.
Impensis Pauli Helwichij Bibliop.

b. d. XCVIII.

M. P. ADRIANVS SILES,
ORD. PHILOSOPHORVM ADSCRIPTVS, ET SS. THEOL.
CANDIDATVS.

